

In diesem Bande fehlen die Schriften Nr 39-41.

21. Sep. 1955.

Suchier.

Nr. 60.2.

EXERCITATIO PHILOLOGICO THEOLOGICA

QVA  
EZECHIELEM  
SOLENNI OB CONIVGIS MORTEM LVCTV  
PROHIBITVM

EX C. XXIV. v. 16. 17.  
EXHIBET

SIMVLQVE  
ACERBISSIMVM LVCTVM IVSTISSIMVMQVE ANIMI MOEROREM  
QVEM

VIR

MAXIME REVERENDVS AMPLISSIMVS ATQVE DOCTISSIMVS  
M. DAN. GODOFREDUS WERNERUS  
AD AEDES ET S. IOHANNIS ET AVGVSTINI APVD STARGARDIENSES  
PASTOR ET COLLEGII GROENINGIANI PROFESSOR PRIMARIVS,  
EIVSDEMQUE ADHVC RECTOR MERITISSIMVS

EX BEATA QVIDEM SED PRÆMATVRA MORTE  
CONIVGIS SVÆ DESIDERATISSIMÆ  
PRIMARIÆ NOBILISSIMÆQVE FOEMINÆ  
LOVISÆ BENIGNÆ BIRNERIÆ

ACCEPIT  
SOLATIO LEVARE STVDET *be.*  
M. IOSEPHVS CHRISTOPHORVS WERNERVS  
PASTORIS PRIMARIJ EISENBERG. SVBSTITVTVS

EISENBERGÆ IPSIS CALEND. FEBR. MDCCXLIII

LITTERIS B. FLEISCHERI DVCAL. TYPOGRAPHI VIDVÆ.





ב ע ה

§. I.

**T**Am memoratu, quam admiratu dignum est, quod Deus, a cuius nutu, voluntate ac imperio omnia pendunt, non solum Ezechielis coniugem repentino e vita migrare iusserit, sed ipsi prophetae etiam speciale dederit mandatum, ut inopinatam eamque acerbissimam uxoris desideratissimae mortem neque publice lamentaretur, neque externo corporis et gestu et vestitu, quem consuetudo praescribat, lugeret. Id veritati accurate respondere, ipse vates divinus *cap. XXIV. v. 16. 17.* testatur. Quantum sit huius rei momentum, vox הנני ab initio statim adiecta luculenter demonstrat. Nam quemadmodum adverbium והן et והנה vel ad rei cuiusdam praesentiam pariter ac certitudinem asseverandam (a), vel in rei gravis, mirandae atque insolitae praedictione

A 2

ne

(a) Particula והנה sua naturam quasi praesentem sistit oculis et sensibus tum corporis *Gen. I. 29. Exod. XXIV. 8. Ios. IX. 12. I Sam. IX. 24.* tum animi *Exod. XXXVI. 10. Ps. CXXXIII. 1.* Denotat vero

etiam rei certitudinem. Praeter loca iam ex parte citata conferri possunt *Gen. VI. 17. II. Reg. VII. 2. Ios. XXX. 10. Ios. XII. 2. XXI. 9. Ps. XL. 8. Zach. IX. 9. etc.*

ne (b), vel ad attentionem excitandam et debitum officium in memoriam revocandum (c) adhiberi solent: ita nemo non intelligit, quod הנה etiam in hoc loco rem mirandam atque insolitam certo eventuram indigitaverit, et prophetam simul admonuerit, ut attentum se præberet, et mandatum divinum curaret, persequeretur, conficeret. Quæ cum ita se habeant, rem ipsam iudico maxime dignam, quam, quantum quidem per ingenii mei vires licet, sub examen revocem, sub examen revocatam ex gravissimis verborum ponderibus et ex antiquis et Iudæorum et ethnicorum ritibus exquiram atque illustrem, et inde exquisitam atque illustratam in medium proferam.

§. II.

Ab initio statim mihi occurrit uxor Ezechielis, cuius morte m repentinam Deus propheta his indicabat verbis: הנהני בן אדם : לוקח ממך את מחמד עיניך במגפה: i. e. *Fili hominis, ecce auferam a te desiderium oculorum tuorum.* Per מחמד עינים uxorem Ezechielis indigitari, ex v. 18. adparet, ubi propheta inquit: ותמה : אשתי כערב: i. e. *et mortua est uxor mea vespere.* Magnum sane huic loquendi rationi inest pondus. Nam quemadmodum מחמד עינים *desiderium oculorum* in aliis scripturæ locis (d) *personam* vel

(b) *Ier. VII. 14.* ubi res miranda, nimirum partus virginis miraculosus pariter ac certissimus exhibetur.

(c) *Psal. CXXXIV. 1.* prout הנה in plerisque locis ad attentionem excitat.

(d) Ita *I. Reg. XX. 6.* *Et fiet, ut מחמד עיניך כל* omne desiderium oculorum tuorum auferant, ni-

mirum omnes res desiderabiles et pretiosas; quas eius oculi desiderarunt. Porto *Thren. II. 4.* *Ut interficiat עין מחמד עין* omnia desideria oculi, i. e. omnes homines, quos oculi desiderant, Huc pertinet, quod Messias vocetur *Hag. II. 7.* חמרת כל הגוים *desiderium omnium gentium* i. e. quem omnes gentes desiderant.

vel rem, quam oculi desiderant, significat: ita desiderium oculorum Ezechielis notat uxorem eius maxime desideratam, seu, quam oculi ipsius desiderarunt. Tantum autem abest, ut hic unica oculorum ratio habeatur; ut potius iuxta scripturæ consuetudinem (e) oculis id, quod animi est, adscribatur, animique desiderium imprimis indicetur; quia ex rei et personæ adpectu eius desiderium nascitur; et quia alicuius rei et personæ desiderium per latum oculorum adpectum se sapius prodit. Desiderium legitimo ordine exortum rei et personæ desideratæ amorem tam præmittit, quam semper includit. Nam illud demum, quod amamus, et cuius perfectiones perspicimus, avide desideramus: et quo præstantius illud est, quod amore complectimur; eo majori eius desiderio flagramus. Rebus ita comparatis, *uxor desiderata* significat simul *uxorem maxime amatam*. Eodem sensu CICERO (f) Terentiam suam adloquitur: *Hem mea lux, meumque desiderium*, et iterum eandem una cum filio et filia: (g) *Valete mea desideria*. Nemo igitur erit, quin intelligat, quod Ezechiel uxorem suam, quæ sine dubio fuit erga Deum pia, erga maritum obediens, fidelis, atque casta, et in curis ac laboribus domesticis prudens et sedula, tam sincero tamque constanti animo amaverit, ut cum ne ullum eius tadium capere valeret.

§. III.

Verum enim vero desideratissimam Ezechielis coniugem, suavissimam curarum atque laborum sociam, morte repentina ablatam fuisse, quis nescit? Inopinatam eius mortem Deus propheta

A 3

(e) *Psalm. CXIX. 82. v. 123. coll. v. 18. conf. GLASSIUS in philog. s. lib. III. tr. III. can. XXII. n. 6.*

(f) *in epist. ad famil. lib. XIV. ep. II.*

(g) *ibidem circa finem.*

pheta his verbis prædicebat: ecce *לוקח מסך* *auferam abs te desiderium oculorum tuorum במגפה* *plaga*; quæ verba, quum gravissima in istis adsint pondera, accurata mentis trutina ponderari merentur. Verbum *לוקח* præter generalem, qua gaudet, significationem, non solum *ablationem vi factam* (h) et *translationem seu translationem personæ alicuius ex loco in locum, et ex statu pristino in alium* (i) significat; sed etiam in specie *translationem hominum ex hac vita* denotat. Hoc sensu *לוקח* de Henoch (k) et Elia (l) usurpatur: et quamuis horum uterque sine naturalis mortis interuentu ad vitam alteram eamque beatam translatus fuerit; (m) neminem tamen latebit, quod *לוקח*, in non nullis scripturæ locis, de translatione etiam et ablatione hominum ex hac vita per mortem (n) adhibeatur. Eodem modo *לוקח* in hoc loco sumitur; id quod eo certius est, quo clarius propheta hanc loquendi rationem ita exponit (o): *והמת אשתו* i. e. *et mortua est uxor mea*. Quid? Nomen *מגפה* *plaga*

(h) I. Sam. IV. 17. 21. II. Reg. IV. 1. I. Chron. V. 21. Prov. XXIV. 11.

(i) Gen. XII. 15. II. Reg. XX. 17. Efb. II. 8. 16, et in multis aliis locis.

(k) Gen. V. 24.

(l) II. Reg. II. 9. 10.

(m) Quod ad Henochum pertinet, eum sine mortis interuentu in cælum translatus fuisse, quis iure negare potest? Hinc etiam CHALDÆVS PARAPHRASIS vocem *לוקח* interpretatus est: *לוא מית* *non sicut eum mori*. Testimonium huius rei omni exceptione maius exhibet Apostolus in *ep. ad Ebr.* XI. v. 5, ubi expressis verbis

dicit: *Πίστεν Ενωχ μετατέθη τὸ μὴ ἰδέειν Σάβατον*. Eliam vivum in cælum assumptum fuisse, nemo amplius iure dubitat. De Henoch conferri meretur, AVGVSTVS PEFIFERVVS in *pec. differt*: (dubius eius vexatis adiecta,) *de Henocho*.

(n) I. Reg. XIX. 14. et *quæsi- vere animam meam לקחה ad auferendam eam, ubi TARGVM habet. למקטלה ut occidant eam*. Ita Ionas, propheta c. IV. v. 3. dicebat: *נת נפשי ממני* *קח נח* *קח* i. e. *solle animam meam*. Huc merito referri debent *Ps. XXXI. 14. Prov. XXIV. 11*, in quibus et aliis locis *לוקח* ad mortem pertinet.

(o) *vers. 18.*



plaga hanc significationem non admittit tantum, sed etiam determinat. Quid vero per מַגֵּפָה indicetur, exploratu dignum est. Verbum נִגַּף *percutere*, et nomen inde deductum מַגֵּפָה *percussio, plaga* ad mortem (p) plerumque (q) pertinent; ita ut vel morbum subitum atque extraordinarium, vel mortem repentinam, et stragem pestilentialem, (r) significant. Plaga hic simul aliquid subito factum involvit, atque inexpectatum. Nam cum aliquem morbus aut ipsa natura necessitas extinguit, id plerumque sensim fit, et longiori mora: plaga vero momento temporis sternit ac conficit. Ex his omnibus patet, quod uxor Ezechielis subita ac repentina morte ex hac vita ablata, et sine dubio tamquam pia pii prophetæ coniux ad beatas sedes translata atque recepta fuerit.

§. IV.

Quam excellens bonum Ezechieli per coniugis desideratissimæ mortem ereptum fuerit, facili negotio intelligi potest. Quemadmodum, qui bonam invenit uxorem, magnum invenit bonum (s): ita qui bonam amittit coniugem, magnum amittit bonum. Quo maius vero bonum est, quod amittimus: quo inopinatio est eius iactura: quo difficilius et minus illud recuperari potest: eo maiorem  
tristi-

(p) *Num.* XIV. 36. XVI. 49  
XXV. 9. I. *Sam.* XXV. 38. II. *Chron.*  
XIII. 20,

(q) nam non semper notat  
plagam lethalem. coll. *Exod.* VIII. 2  
et cap. XXI. 22. Notat etiam stragem  
bellicam (I. *Sam.* IV. 17.  
II. *Sam.* XVII. 9.)

(r) *Num.* XVI. 48. XIV. 36.

II. *Chron.* XXI. 14. coll. 18. II. *Sam.*  
XXIV. 21. 25.

(s) *Prov.* XVIII. 22. Bona  
tantum uxor hic intelligitur. Hinc  
etiam LXX. INTERPRETES textum  
Hebræum reddiderunt: Ὁ εὖς γυ-  
ναῖκα ἀγαθῆν. Quantum bonum  
sit uxor bona, ex *Proverb. capite*  
XXXI. et *ecclesiastici c.* XXVI. 1-4  
16-24. luculenter adparet.

tristitiam et dolorem eius detrimentum adfert. Quis itaque negaret, Ezechielem ex conjugis morte magnum animi mœrorem accepisse? Quis iustum prophetæ dolorem, quem amor et pietas exprimebat, reprehenderet? Quis luctum eius publicum, si quem legitimo ordine ipse excepisset, pro iniquo, et iniusto venditasset? Verum enim vero Dei cogitationes non semper esse hominum cogitationes, et hominum vias non esse Dei vias, JESAIAS et EZECHIEL testantur: ille quidem expressis verbis (t): hic autem exemplo suo notatu perquam digno. Nam Deus Ezechieli mandatum dabat, ne plangeret atque lugeret. Non prohibuit quidem Deus prophetam omni mœrore; neque ipsum privato ac domestico luctu abstinere iussit: eo tamen mandatum divinum imprimis respexit, ne vates divinus publice, prout in funeribus fieri solebat, plangeret, nèque solennem pariter ac honorarium luctum, quem consuetudo præscribebat, susciperet. Operæ pretium fore existimo, ut verba, quæ mandatum divinum exhibent, accurate exponam.

§. V.

Quum iam in eo sim, ut me ad mandatum divinum contemplandum accingam, mihi statim occurrunt verba; לרא תספור *ne plangas.* Vox ספור in genere notat *plantum eumque amarissimum* (u): notat *plantum et luctum solennem* (x): notat *externum gestum lugentium*, qui percussione pectoris, femorum, aliorumque corporis membrorum, dolorem suum indicabant. Pectus percutere sapius est dolentis atque ægre ferentis aliquid. Ritus in luctu percutiendi pectus ac femora tam Iudæis, quam ethni-

(t) *Jes. LV. v. 8. coll. 9. Zach. XII. 10. 12.*  
 (u) *Gen. XXIII. 1. 1 Reg. XIV. 13. Jer. XVI 4. XXV. 33.* (x) præter loca citata notari meretur. *Gen. L. 3. 10.*



ethnics maxime erat usitatus; de quo MARTINVS GEIB-  
 RVS (y) IO. KIRCHMANNVS (z) IO. ANDREAS QVEN-  
 STEDT (a) PETRVS RAVANELLVS (b) IO. NICOLAI (c)  
 IO. HENNINGIVS (d) et alii conferri merentur. Testis huius  
 ritus est ipsa scriptura sacra (e); Testes quoque sunt HOME-  
 RVS (f) LVCIANVS (g) POLTBIVS (h) OVIDIVS (i)  
 CICERO (k) et alii. Eundem lugendi ritum alii comitaban-  
 tur.

(y) in tr. de luctu Hebraeorum  
 cap. XVI. p. 199. sq.

(z) de funeribus Romanorum.

(a) de sepultura veterum.  
 cap. VI.

(b) som. II. biblioth. s. sub r.  
 pectus.

(c) de luctu Græcorum pag.  
 153. sqq.

(d) in archeologia personali  
 cap. XXV. de iustione pectoris.

(e) Ezech. XXI. 12. ubi IAR-  
 CHI addit לבהי ולקינה ob plan-  
 tum et lamentum. Nab. II. 8.  
 quæ verba ABARBENEL ita decla-  
 rat: המכה בידיהו על לכבריהו  
 i. e. כרך האדם המכה כתיף;  
 percussit manibus suis pectora, si-  
 cut quispiam pulsare solet tympa-  
 num.

(f) Oays. Lib. XIII.  
 ἄμωξέν τε ἀξ ἐπειτα καὶ ὦ πεπλή-  
 γετο μηρῶ  
 χειρὶ καταπρήνεσσ', ἀλοφυρόμενος  
 δ' ἔπος ἦυδα. i. e.

Flevit postea, et sua percussit fe-  
 mora

Manibus deiectis lugens autem locu-  
 tus est.

(g) ἐταυρ. διαλ. ubi occur-  
 runt hæc verba: τὰ στήνα ἐτύπτε-  
 το καὶ ἐπένθησεν i. e. pectora percussit,  
 et luxit.

(h) lib. XV, Νικόστρατος δὲ  
 ἐν ποδὸς ἐπεσολεύθει τῷ τῶ, λέγων  
 μὲν ἄδὲν τῶ πτωπῶν δὲ συνεχῶς τὸν  
 μηρὸν i. e. Nicostratus illum e ve-  
 stigio sequitur, nihil quidem dicens,  
 at indesinenter femur percussit.

(i) Hic huius ritus non semel  
 mentionem facit, e. c. lib. Trist. III.  
 Eleg. 3.

Ecquid, ut audieris, tota turbabere  
 mente

Et feries providi pectora fida manu.  
 iterum lib. IV. East. v. 455.

Et feriunt iuxta pectora nuda  
 manu.

it. lib. II. amor. Eleg. VI. Metamorph.  
 lib. 8. et in multis aliis locis.

tur. Nam isti, qui luctui indulgebant, manus concutiebant et complodebant (l) : radebant genas (m) : tondebant crines (n) : frontem percutiebant (o) : et multis aliis gestibus, summi et doloris et luctus interpretibus, utebantur. De his ritibus fusius agere scopus mihi propositus non patitur. Id tantum addam, quod Ezechiel eiusmodi planctu et luctu prohibitus fuerit,

§. VI.

Neque vero numen celsissimum prophetam ab hoc lugendi ritu tantum avocavit, sed ipsi etiam præcepit: לֹא תִבְכּוּ

(k) lib. III. Tuscul. quæst. ubi ipse inter varia et detestabilia lugendi genera, muliebres lacerationes genarum, pectoris et capitis percussiones, expresse refert.

(l) Ezech. VI. v. 11. ubi propheta ob ingentem populi stragem luctus indicitur his verbis הַכּוּ בְּכַף יְדַיְכֶם בְּכַף רַגְלֵיכֶם פֶּרְצוּ יוֹלָה יוּא (una ad alteram). Conferatur MART. GEIERS de luctu Hebraeorum p. 18.

(m) Videantur de hoc lugendi ritu IO. NIGOLAI in gr. de luctu Græcorum cap. XI. 158 sqq. IO. PHIL. PFEIFFERVS in antiquitatibus Græcis l. IV. c. LV. p. 755.

(n) Hiob. I. 20. Ier. XXXII. 12. Ier. VII. 29. XVI. 6. Ezech. VII. 18. Amos VIII. 10. Mich. I. 16. Conf.

MART. GEIERS I. c. p. 137. Huncce morem ethnici in defunctorum honorem observabant. Ita etiam docet HOMERVS Odysf. IV. v. 196.

τὸτό νυ καὶ γέρας διὰν διζυροῖσι βοτρυῖσι κέραδά τ' ἐ κούμην, βυλκῶν τ' ἀπὸ δάκρυ παρειαῶν.  
i. c.

Illud certe munus solum est miserorum mortalium

Tondereque comas, persuadereque lacrymas a genis.

De hoc ritu legi merentur, NICOLAI I. c. p. 159, et PFEIFFERVS I. c. p. 756.

(o) Testis est CICERO in ep. ad Atticum lib. I. statim ab initio, ubi gemitus cum frontis percussione coniungitur, it. de claris oratoribus

התבכה וליה תבוכה רמעתה i. e. *ne fleas, neque prodeat lacryma tua.*  
 Lacrymæ sunt emblemata luctus et tristitiæ (p); quare in funeribus  
 quamplurimum provocari atque effundi solent. Quam grave pon-  
 dus, quantumquæ honorem inortuis exhibendum tam Iudæi, quam  
 ethnici in lacrymis collocarunt, neminem latere potest, qui  
 tantum extremis, ut aiunt, digitis antiquitatum Iudaicarum,  
 Græcarum, et Romanarum libros attigit. De lacrymis Iudæo-  
 rum, qui sapius sonora voce eiulabant, (q) MARTINVS  
 GEIERVS (r) incomparabilis ille antiquitatum Ebraicarum do-  
 ctor, multa lectu dignissima in medium protulit; ad quem be-  
 nevolam lectorem, si placet, relego. Quod vero ad Græcos  
 et Romanos attinet, isti non solum multas lacrymas in funeribus  
 profundebant, sed etiam exequias mortuorum istis cohonestari cre-  
 debant. (s) Romani adeo lacrymas pro defunctis fusas in  
 vascu-

B 2

*toribus: Ului dolor! - - - nulla  
 perturbatio animi, nulla corporis,  
 FRONS NON PERCVSSA, non  
 femur (est.)*

(p) *Ier. XXXI. 15. Ier. XXIII.  
 IO. Hinc etiam fit, ut lacrymæ  
 et gaudium sibi opponantur. Pr.  
 XXX. vers. 6. et Pr. CXXXVI. 5.  
 vid. WILH. EWALDVS in emble-  
 matibus sacris miscellaneis. P. I.  
 Lib. II. Exercitat. IV. p. 179.*

(q) *I Sam. IV. 13. II Sam.  
 III. 32. Iudith. VII. 18. Ies.  
 XV. 3. Gen. XXI. 16.*

(r) *in tr. de luctu Hebræo-  
 rum et quidem cap. XII.*

(s) Testis huius moris est  
 HOMERVS *Odysf. IV. 198. v.*

τῆτό νυ χαί γέρας διον αἰζυροῖσι  
 βοτρυοῖσι

κέραδά τε κόμην βαλέειν τ' ἀ-  
 πό δάκρυ παρειῶν.

*Illud certe minus solum est misero-  
 rum mortalium*

*Tondereque comas PERFVNDERE.  
 ΟΥΤΕ LACRYMAS, A GENIS.*

Hinc SOLON apud PLYTAR-  
 CHVM:

Μηδε μοι ἀλκωντος θανατος μόλο'  
 ἀλλά φίλοισι

καλλίποισι θανῶν ἄλγεια καὶ πο-  
 ναχάς, i. e.

vasculis colligebant, atque tumulo mandabant (t). Quid !  
 Ut lachrymæ auferentur, Iudæi certas quasdam mulieres merce-  
 de ad luctum conducebant, quæ, ut SEB. SCHMIDIVS (u)  
 et MARTINVS GEIERVS (x) bene annotarunt, non tantum  
 pro se, et ex condolentia lamentabantur, et carmina lugubria  
 in mortuorum honorem cantabant, sed etiam lugentium simul  
 luctum repræsentabant, magisque excitabant, atque alios ad collu-  
 gendum commovebant. Hæ a lamentando et luctu *κλαυθρον*  
 vocabantur (y); earundemque mentionem facit IEREMIAS:  
 qui etiam istas, quum luctum optime scirent, et solerter ad  
 hunc plangendi actum instructæ essent, vocat *σοφισταί* *sapientes*,  
*lamentationum peritas*, aut, ut ABARBANEL (z) explicat,  
*sapientes in sapientia luctus et planctus*. Eiusmodi mulieres et viri  
 ab ethnicis etiam adhibebantur (a) de quibus PFEIFFE-  
 RVS

*Mors mea ne careat lacrymis, sed  
 amicis linguam moriens dolorem  
 et gemitus.*

Nec minus EURIPIDES id adfir-  
 mat in *Troia. Al.* III.:

ὄϊο; ἰάλεμος, οἷα τε πένθη  
 δάκρυα τ' ἐν δακρύων καταλεί-  
 βεται

*Ἡστέροισι δόμοισι  
 Qualis planctus, qualisque luctus  
 Lacryme manant ex lacrymis  
 Nostris ædiibus.*

(t) De hoc ritu fusius agunt  
 GEIERVS, l. c. pag. 175. et IO.  
 AB ALMELOVEEN in *specimine  
 antiquitatum e sacris profanarum*  
 p. m. 131. qui simul vasculorum

figuram exhibet, et inde non incom-  
 mode *Psalm.* LVI. 9. illustrat.

(u) in *comment. in Jeremi-  
 am*, et quidem ab *cap.* IX. 17.

(x) l. c. *cap.* V. §. 19.

(y) *Ier.* IX. 17.

(z) in *comm.* in h. l.

(a) HOMERVS *Iliad.* XXIV.  
 v. 725. cuiusmodi hominum mentio-  
 nem facit his verbis:

— Παρὰ δ' εἶσαν αἰοιδῶς  
 θρήνων ἐξάρχους αἷτε σενόεσσαν αἰοι-  
 δῆν  
 οἱ μὲν ἄρ' ἐθρήνεον ἐπὶ δε σενά-  
 χοντο γυναικῆς i. e.

RVS (b) et IO. MICH. DILLHERR (c) legi merentur. Quis itaque est, quin lacrymas multas olim in funeribus, pro- ut consuetudo ferebat, effusas fuisse cognoscat? Ast Deus Eze- chielem eiusmodi lacrymis, ex plane singulari ratione infra in- dicanda, prohibebat, ita ut ne ulla quasi lacryma ex oculis eius prodire, et a genis pariter ac maxillis descendere deberet; id quod R. SALOMO BEN MELECH (d) bene annotavit. Nam ille phrasin Ebraam ita interpretatur: לא תבא דמעתך על לחיך: i. e. ne veniat lacryma quedam super genas tuas. Quanta vero sit mandati divini vis et gravitas, phrases unum idemque significantes hinc coacervatæ demonstrant.

§. VII.

Ne vero quis putaret, Ezechielem omni sensu fuisse pri- vatam, omnique dolori, quem alioquin amor et pietas expri- mit, renunciasset, addit Deus: ורמק רום. Hi imperativi per- missionem involvunt (e). Verbum רמק notat *clamare, ingemis- cere*, et quidem sæpius instar vulneratorum animam efflantium, (f) ita ut significet, *vehementer ingemiscere*; prout etiam no-

B 3

men

-- iuxtaque collocarunt siccities -- mercede qua conductæ sicut a-  
 Qui lamentationes auspicabantur, lieno in funere PRÆFICÆ  
 qui flebile carmen (b) in antiqu. Græcis p. 737.  
 Ipsi quidem desiebat cum cantu, (c) in disertat. acad como I.  
 insuper autem gemitant mu- p. 198.  
 lieres. (d) in מכלל יופי in h. l.  
 LVCIANVS, πῆρὶ πένθους: viros (e) uti bene monuit B. DAN-  
 nominat ἄρτων σοφιστῶν. Mulie- zivs in *Interpr. Ebr.* §. 70. plen. ed.  
 res a Romanis PRÆFICÆ vocaban- (f) *Ezech. XXVI. 15. ler. LI.*  
 tur. Unde LVCILIVS *Sat. XXII. v. 52.*

men מנקה de gemitu et eiulatu captivorum et afflictorum (g) adhiberi solet. Hinc מנקה indicat *vocem gemebundam, gemitum cum magna animi angustia coniunctum*, prout CHALDÆVS PARAPHRASTES, teste IO. BVXTORFFIO (h) hac voce et gemitum oris, et anxietatem cordis sæpius expressit. Ingemiscere vati divino quidem licebat: verumtamen, ne iste iustos transcenderet limites, Deus adiciebat: דים רים *sile. R. SALOMO BEN MELECH* (i) circa has voces hæcæ admonuit: ופירושו מהמנקה דום כאלו אמר מצעוק דום כי האבלים אחרים צועקים ואתה תרום: *Interpretantur; ab ingemiscendo desiste (sile) q. d. a clamando cessa. Nam lugentes alii clamant: tu vero sileto.* Hæc vox vero non semper nudum et strictè sic dictum silentium designat: sed etiam vel de cessatione a turbulentis cogitationibus, ne istæ in opus externum erumpant, vel de patienti expectatione adhiberi solet. (k) Quæ cum ita sint, mandati divini cardo in eo vertebatur, ut Ezechiel ingemiscere quidem, sed gemitum silentio quasi et patientia temperare deberet: ut ab affectuum importuna rebellione ad moderatam eorundem in timore Dei compositionem se conferret: ut patienter et sine clamore et externo magnæ tristitiæ tumultu moderate id, quod, Deo ita sapienter disponente, ipsi accideret, ferret. Aliud igitur est sensus: aliud consensus. Sentiebat propheta dolorem: sed ipsi indulgere, eumque per externum lugubrem clamorem edere non debebat.

## §. VIII.

(g) *Psalm. LXXIX. II, CII, 21.*  
XII. 6. et *Mal. II. 13.*

(h) in *Lexico Chaldaico Talmudico et Rabbinico sub voce מנקה*  
P. 147.

(i) in *Michlal Iosphi in b. l.*

(k) *Psalm. IV. 5. LXII. 6.*

XXXVII. 7. et in multis aliis locis.  
coll. *Thren. III. 28. 29.* Silentio quidem etiam apud Iudeos interdum utebantur tristes ac lugentes, c. c. *Thren. II. 10;* sed id non impedit, quo minus propheta iuxta mandatum divinum sileret.



§. VIII.

Quamvis Deus iustissimum animi dolorem, quem vates divinus ex coniugis morte acceperat, non reiiceret: ipsi tamen iterum præcipiebat, ut publicum, solennem, ac honorarium mortuorum luctum omitteret. Verba quæ mandatum divinum exhibent, ita sonant: מתים אכל לוח תעשה. R. SALOMO BEN MELECH (1) voces מתים אכל inter se translatas esse putat, ita ut positæ fuerint pro מתים; prout etiam ipse tam apud Ezechielem (m) quam apud Amosum (n) similem aliarum vocum constructionem se invenisse credit. Huic sententiæ SAL. GLASSIUS (o) et multi alii Interpretes calculum suum adiacere non dubitarunt, et verba textus Ebræi ita reddiderunt: *mortuorum luctum ne facio*. Non desunt vero, quibus hæc versio non placet; quia voces per accentum distinctivum distinctæ regimen non facile admittere videntur. Hinc STARCHIUS (p) מתים אכל vertit: *mortuis luctum ne facio*; et GEORG. CHRISTOPH DACHSELIVS (q) ob defectum ל mavult circa מתים, *quod attinet, vel propter, subintelligere*. Quæ verba, quomodocunque reddantur, ad solennem luctum, quo Iudæi mortuos cohonestare solebant, extra omnem controversiam respiciunt. Solennis Iudæorum luctus neminem, nisi rerum et antiquitatum Iudaicarum ignarum latet. Nam plena lugen-

(1) in *Michlal Iosphi*, in b. l. יודעי נהי אל יודעי נהי: pro אל יודעי נהי: מספר:  
 (m) cap. XXXIX, II. ubi מקום שם קבר מקום שם קבר שם: s. B. MELECH putat  
 (o) in *Grammar*, S. lib. IV. tr. II. Obf. XXIII.  
 (p) in *luce Hebr.* p. 363.  
 (q) in *bibliis accensuris* p. 364.

Iugendi rituum est sacra V. T. scriptura: pleni sunt libri Iudæorum rituales: plena antiquitatum Iudaicarum compendia ac systemata, Reliquis, qui Iugendi mores a Iudæis receptos exposuerunt, MARTINVS GEIERVS (r) palmam præripit; ad quem beneuolunt lectorem remitto. Planctus legitimus erat septemdiælis. Testes sunt tam canonici, quam apocryphi libri scripturæ sacræ (s). Egregium huius septemdiælis Iuctus testimonium exhibet etiam FLAVIUS IOSEPHVS (t). Nihilominus Ebræi pro personarum varietate ac dignitate Iuctum diutius producebant (u). Eiusmodi solenni Iuctu Ezechielem prohibendum fuisse, quis non cognoscit?

§. IX.

His Deus porro adiciebat: פָּאָרַךְ חֲבוּשׁ עֲלֶיךָ, nempe in signum, quod non lugeas. פָּאָרַךְ denotat in genere *ornatum*; in specie vero significat *ornamentum capitis*, (x) aut *ciaram* et *cidarim*, qua sacerdotes utebantur (y). Quid vero integra loquendi ratio

(r) in *tr. iam laudato de Iuctu Ebræorum*, qui Iuctus huius durationem Cap. II. p. 17. proponit.

(s) *Gen. L. 10. Iudib. XVI. 29. Sir. XXII. 13.*

(t) lib. XVII. *antiqu. Iudaic. Cap. X.* ubi de Archelao inquit; (pag. m. 600. F.); Ἀρχελάος δὲ ἐπὶ μὲν ἑβδόμῃ ἡμέρᾳ πένθος τῶν ἐν τῷ πατρὶ τιμῶν διατέλει τὸσας γὰρ διαγορεῖται τὸ νόμιμον τῷ πατρὶδ. i. e. *Archelaus autem per septimum diem honorarium ob patrem Iuctum absoluit; nam talem requirit s. sancit*

*patria lex.* Id quod etiam AVGVSTINVS lib. I. *Quest. in Genesin circa finem* adfirmat. IO. STEPH. MENOCHIVS de *republ. Ebr. Lib. VIII. Cap. V.* hunc Iugendi modum nominat communem exequiarum modum.

(u) *Num. XX. 29. Deut. XXXIV. 8.*

(x) coll. v. 23, ubi פָּאָרַךְ exquiritius determinatur. Sic etiam R. SAL. BEN MELECH. in h. l. vocem פָּאָרַךְ de capitis ornamento accepit. coll. *Ies. LXI. 3.*

(y) *Exod. XXVII. 39. 40. Ezech. XLIV. 18.*

ratio sibi quarat, statim monstrabo. SEPTVAGINTA, ut vulgo vocantur, INTERPRETES hæc verba ita interpretantur. *ἐν ἔσει τὸ τρίχωμά σου συμπλεγμένον ἐπὶ σε.* i. e. *erit s. esto crinis ligatus super te;* et procul dubio ad ritum in luctu comas detondendi (z) respexerunt. (a) Ast, si verum fateri licet, res potius ita concipi potest. Ornamentum capitis hic innui, nemo facile negabit: siue illud ad tiaram et mitram sacerdotalem (b) spectet, siue potius ad ornamenta capitis, quibus Iudæi in latitiæ signum, tam in festiuo plausu, quam eventu prospero, utebantur (c). Ornamenta capitis, et coronæ sapius sunt latitiæ symbola (d). Testis etiam est IESAIAS

C

AS

(z) Conf. MART. GEIERS. l. c. *Cap. VIII. §. 5. et 6.* qui huic lugendi morem fusius enarravit. Quamvis Deus hunc ritum *Deut. XIV. 1.* interdixerit: non exigua tamen huius moris vestigia in codice sacro occurrunt. *Hiob. I. 20. Ier. III. 17. XV. 2. Ier. VII. 29. XLVII. 5. XLVIII. 37. Ezech. XXVII. 31. Amos VIII. 10.* De hoc Iudæorum et ethnicorum ritu legi merentur præter GEIERVM, PETRVS RAVANELVS in *bibliotheca s. voc. capillus*, KIRCHMANNVS de *funeribus Rom. lib. II. c. XIV. 10.* SAUBERTVS de *sacrificiis veterum cap. X. p. m. 198.* (iuxta CRENI edit.) et MENOCHIVS de R. E. lib. VII. cap. VI.

(a) Hinc HIERONYMVS in inh. I. hæc verba ita exponit: *Habe-*

*bis comam que tondetur in luctu,* et statim addit: *Nos autem iuxta LXX. coronam capillorum intelligamus casariam.* Magnus enim humano capiti decor conciliatur a capillis. *II. Sam. XIV. 25. it. Iudic. X. 3. XVI. 10.* Hinc etiam apud EVRIPIDEM in *suppl. ἑφ' αὐτοῖς κόμας coronæ comæ* commemorantur.

(b) Hæc uti etiam Ezechiel poterat. Nam ille erat natalibus suis sacerdos cap. I. 2. et ita secundum oeconomiam V. T. minister Dei in populo suo ordinarius; uti IEREMIAS, cap. I. v. 1; licet tunc in Babylonia neque templum curari neque cruenta sacrificia offerri potuerint.

(c) *coll. v. 23.*

(d) Hinc non mirum est, tradi ab ATHENÆO lib. XV. et DIONYSIO HALIC. lib. IX. *antiqu. Rom.*

As (e), qui כתר ornatum, tiaram opponit עפר cineri: quum vero cinis tristicia, doloris, atque luctus emblemata sit; quumque olim Iudaei (f) et gentiles (g) lugentes et pulvere et cinere caput polluerint, vel in pulvere sederint: Ezechielem tiara ceu capitis ornamento, in signum, quod non lugeret, usum fuisse, sole meridiano clarius est. Vestitus et ornatus corporis externus saepius est animi index. Quam ob rationem Iudaei latibundi diebus festis aut in aliis solemnitatibus vestes pretiosas adhibebant: (h) lugentes vero, ac summum animi dolorem indicaturi,

Rom. in luctu nefas esse coronari; quod etiam alii ethnicorum scriptores monuerunt. Sic Theseus apud EVRIDEM Hipp. act. IV. cognito atroci casu coniugis:

Αἰ αἴ τι δῆτα δ' ἀνέξεμαι κέρα  
Πλεκτοῖσι Φύλλοις δυσυχῆς θεω-  
ρὸς ὧν

Heu! heu! cur coronatus sum caput  
Contextis foliis, qui sum infelix  
bospes.

Sic apud EVNDEM in Alcest. Admetus post obitum uxoris ait.

Παύσω δε κώμους - -

Ἐτεφάνες τε - -

Deseram convivia et coronas.

(e) cap. LXI. 3. coll. les. XXXV. 20. Jer. XXXI. 13. Amos. VIII. 10.

(f) II. Sam. I. 2. Ios. VII. 6. Thren. II. 10. III. 29. Ezech. XXVII. 30. Mich. I. 10. Ies. XLVII. 1. LVIII. 5. Esth. IV. 3. Iudich.

IV. 12. Conferatur de hoc ritu apud Iudaeos GEIERVS l. c. p. 148. sq.

(g) Ita HOMERVS Odyss. XXIV. v. 215.

Ἀμφοτέρησι δε χερσὶν ἐλῶν κόνιν  
αἰθαλόεσσαν  
χεύατο κακκεφαλῆς πολιῆς ἀδινῶν  
σεναχίζων

Ambabus autem manibus capiens  
pulverem ardentem (atrum)

Eudit in capite albo graviter suspirans.

Id quod etiam, LUCIANVS περὶ πένθους fusius et saepius monstrat, Conf. etiam GOETZIVS In diss. de usu cinerum.

(h) Huc praeter alias vestes pretiosas referri possunt תלבושתות aut ut alias dicuntur, מוטות בגדי תלבושתות mutationes vestium, s. vestes mutatione, et iuxta LUTHERI versionem Fayer - Kleider; vestes novae, pretiosiores, quae quasi alternatim aut per vices induuntur. coll. Gen. XIV.

turi, vel viles vestes et saccos induebant (i) vel vestes suas eum in finem lacerabant (k), ut externo hoc signo, in quantum animus discrimen, dum scisus quasi integer sit, ac dilaceratus, inciderit, monstrarent, Quæ omnia si quis accurata mentis lance pensitet, facile perspiciet, mandatum divinum propheta datum eo respexisse, ut ne vates consuetum tiararum ornamentum ex impatientia detraheret, caputque hoc modo nudum more lugentium aliorum vel tonderet, vel cineribus adspargeret; ut potius capitis ornamento in tristitiæ abiectæ signum uteretur.

§. X.

Non minus Ezechieli id mandabatur : ונעליך חשים כרגליך *et calceos tuos apponito pedibus tuis.* Quo hæc verba tendant, intellectu non difficile est. Prisci Iudæi ritum calceos deponendi multis in casibus, uti præter alios IO. CHRISTOPH. WICH-

C 2

MANNS.

XLV. 22. *Iud.* XIV. 12. II. *Reg.* V. 16. 22. 23. Hæ vestes erant munda et lauta, quibus Iudæi in festis utebantur. HOMERVS l. VIII. Odyss. hæc vestes vocat. ἡμᾶτα ἐξάμειβα *vestimenta permutatoria.*

(i) I. *Reg.* XX. 32. *Ies.* XV. 3. XXII. 11. *Ier.* IV. 8. VI. 26. XLIX. 3. *Thren.* II. 10. Præter GEIERVM l.c. et in comment. in psalm. *Ps.* XXX. v. 12. Cap. XXII. consuli possunt KIRCHMANNVS. Cap. XVII. p. 231 - 242. et IO. DAV. THOENIKER in *diff. de*

*cilicio veterum.* Saccus viliores, crassiores, sordidiores vestes signi- ficat.

(k) Fusius hunc ritum, præter viros n (i) iam laudatos, exposuerunt SAM. FR. BVCHERVS in antiquitatibus Evangelicis pag. 774 790 qui præ ceteris legi meretur it. HENNINGIUS in *archæologia pæ- sanali.* Cap. X. p. 82 sq. NICOLAI de *lustu Græcorum* Cap. XI. p. 141. sq. DILLHERRVS in *disput. acad.* tom. I. p. 131. sq. et 497. seq.

MANNSHAUSSEN (l) monuit, observabant. Deponebant isti calceos in sacris (m): deponebant sæpius calceos captivi, qui in servitutis et obedientiæ signum nudis pedibus ince-  
debant (n): deponebant calceos in redemptionibus rerum immobilium (\*): deponebant calceos in negotio leviri viduam demortui in uxorem ducere recusantis (o): deponebant tandem calceos in tristitiæ signum, vel ad tristem atque miserum et animi et corporis statum denotandum. (p) In nostro loco alluditur ad ἀνυποδνσίας ritum in luctu usurpatum: quod eo certius est: quo expressius Ezechiel hic externis luctus et doloris signis abstinere iubetur. Calceos more lugentium exuere Ezechieli adeo non licebat: ut potius calceos suis pedibus mandato divino applicaret,

## §. XI.

His, quæ iam in scenam quasi producta sunt, Deus adiectabat: שפם על העטה על ורוא q. v. *neque obvelato super mystace.* Vox שפם, quæ quinquies in codice sacro occurrit, significat vel *mystacem seu barbam, quæ crescit super labio*, vel, uti VALSCHIND-

(l) *in diff. de calceo in Ebraorum sacris deponendo.*

(m) *Exod. III. v. 5, coll. iam laudata laudati viri disertatione.*

(n) *II. Chron. XXVIII. 15. Ies. XX. versu 2.*

(\*) *Ruth. IV. 8. 9.*

(o) *Deut. XXV. 5-15, Fusi- us hunc ritum exposuit IO SELDENVS de uxore Ebraa lib. I, Cap. XIV. p. m. 67. sq.*

(p) *II. Sam. XV. 30. Conferratur GEIERSVS, qui multa Iudaeorum doctorum de hoc ritu in luctu adhibito testimonija Cap. XV. p. 197. in medium protulit. Huic addi possunt IO. BUXTORFFIUS in Synag. Iud. cap. XXXV. et BRAVNIUS de vestitu sacerdot. Hebr. lib. I. c. III.*

(q) *Lev. XIII. 45. Ezech. XXIV. 17. et 22. Mich. III. 7. II. Sam. XIX. 25.*

SCHINDLERVS (r) GEIERVS (s) et alii monuerunt, totum barba spatium, totum labritium, quicquid infra nasum continetur. Ad rem ipsam quod attinet, ritum mystacem operiendi tristibus ac lugentibus usitatum fuisse, satis notum est, atque manifestum (l). Neque vero obvelatio mystacis tantum, sed etiam totum caput velatum, non contemnendum luctus signum exhibebat; uti præter M. GEIERVM (u) IO. KIRCHMANNVS (x) et HENR. MALINKROTT (y) id præclare annotarunt. Caput variis in casibus obvelabatur, Nam sic præter alios illi caput obnubebant, qui sacra operabantur, et apud gentiles sacrificabant, ut reverentiam suam testarentur: qui damnati et morti destinati erant (a): qui tristes erant, atque calamitatem suam aut igno-

C 3

mi-

(r) in *Lexico pentaglotto* sub שפם  
 (s) l. c. cap. XI. §. 5. p. 167. ubi ipse alios huius sententiæ auctores et fautores laudat,

(t) Hinc etiam CHALDÆVS PARAPHRASTES *Lev.* XIII 45, ita explicat: et super labio כנכלה sicut lugens uelabitur, et *Mich.* III. 7. et obvelabunt se super mystace כנכלים sicut lugentes.

(u) loco iam citato cap. XI.

(x) de funeribus Romanorum lib. cap. XVI.

(y) in expositione ritus capitis uelandi apud veteres, §. XVII. XVIII.

(z) Conf. IO. SELDENVS *de sacrificiis veterum* C. XII. (ed. Crenii) pag. 239. sqq. G. LAKE-MACHERVS *Obs. philol.* p. 111.

*Obs. 2. de ritu in sacris caput uelandi a Romanis ad Iudeos profecto, imprimis pag. 234.* W. E. EWALDVS in *emblem. s. P.* III. pag. 468. seq. et MALLINKROTT l. c. p. 14. sq. qui etiam alios caput uelandi modos, et casus recenset.

(a) Non contemnenda huius ritus vestigia deprehendo apud EYRIPIDEM in *Hecuba*, *Act.* II. sc. 2. ubi Polyxenam iam iam mastrandam ita inducit:

Κόμισ', Ὀδυσσεύ, μ' ἀμφιθεῖς κά-  
 ρα πέπλοις

ὡς πρὶν σφαγήναι γε ἐπέτηκα καρ-  
 διαν

Θρήνοισι ματρὸς - -  
 i. e.

*Me duc, Ulysses, obvoluens caput  
 peplos*

Nam

miniam et mortem alterius lugebant (c). Reliquos caput velandi modos, brevitatis studio ductus sicco pede transibo. In nostro loco tantum ad velationem mysticis et capitis in luctu usitatam respicitur; qua vero Ezechieli interdicebatur.

## §. XII.

Tandem Ezechieli panem hominum lugubrem edere non licebat. Nam Deus ipsi mandabat: וְלֶחֶם אֲנָשִׁים לֹא תֹאכַל i. e. *panem hominum (aliorum, aut, ut CHALDÆVS PARAPHRASTES, quem VULGATVS INTERPRES sequitur, vulg, אֲבֵלִין lugentium) ne commedito.* Ad feralia Iudæorum convivia respectum fieri, nemo negare poterit. Nam apud Iudæos consuetudine receptum erat, ut proximi cognati et vicini, lugentibus, qui teste MAIMONIDE (d) primo præsertim die, postquam funus

*Nam antequam malter contabesco  
pellore*

*Præ luctu matris - -*

Testes quoque sunt LIVIUS lib. I. 26 6. CICERO in or. pro C. Rabirio cap. IV. ARISTOTELES Rhetor. lib. II. cap. 6. 48. et multi alii, Coll. Estb. VII. 8. De hoc ritu præter iam laudatos legi possunt IO. HENR. YRSINVS in anal. s. vol. I. lib. I. Cap. XIV. et DAN. GODOFREDVS WERNERVS, patruus meus ætatem colendus, cui quoque hanc meam exercitationem sacram esse volo, in. *pec. diff. de Messia caput obnubente; quæ meditationibus sacris ipsius adiecta est,*

(c) II. Sam. XIX. 4. ubi KIMCHI addit: כִּי כֵן דָּרַךְ : אֲבֵלִים nam sic est mos lugentium conf. in h. I. FL. IOSEPHVS lib. VII. antiqu. Iud. Cap. X. p. m. 235. It. II. Sam. XV. 30. Ier. XIV. 3. Estb. VI. 12. Ita apud CVRTIVM lib. IV. c. X. §. 34. Darius ob uxoris mortem diu capite velato flevit. Apud VIRGILIVM Aen. lib. XII. v. 885.

- - caput glauco contextæ amictu  
Multa gemens - -

Conf. MALLINKROTT. I. c. §. XVII. et. XVIII.

(d) In Hilcor. Ebbel. cap. IV. §. 6. 9.



funus terræ mandatum erat, de propriis nec edebant, nec bibe-  
bant, panem et potum in ædes luctuosas adferri curarent, eosque  
conviviis funeralibus exciperent, eosdem que ad edendum, et  
luctum deponendum invitarent atque excitarent. Egregium  
sane de hoc ritu testimonium exhibet IEREMIAS (e); cui alia  
scripturæ loca addi possunt (f). De hoc ritu apud Iudæos de-  
cantato et solenni MAIMONIDES (g) et alii rerum Iudaica-  
rum doctores, in quorum numero FLAVIUS IOSEPHVS (h)  
natione Iudæus, et ex nostratibus MARTINVS GEIERVS (i),  
non postremum locum occupant, consuli merentur. Eius-  
modi convivia feralia etiam apud Græcos (k) Roma-  
nos

(e) cap. XVI. 5. 7. 8. conf.  
SEB. SCHMIDIVS in h. l. HIE-  
RONYMVS in h. l. inquit: *moris  
est lugentibus ferre cibos et prepara-  
re convivia, quæ Græci περιδειπνα  
vocant.*

(f) Prov. XXXI. 6. Ies. LVIII.  
7. II. Sam. III. 35. Hos. IX. 4.

(g) in *Hilcot.* Ebhel.

(h) in *antiqu. Iud.*

(i) l. c. p. 110. sqq.

(k) Græci hæc convivia voca-  
bant περιδειπνα τῶν νεκρῶν, νεκρόδει-  
πνα, ἐπιτάφια δειπνα. Horum men-  
tionem facit HOMERVS in fin.  
Iliad. ult. v. 805. his verbis:

Χεῦαντες δε τὸ σῆμα, πάλιν κίων  
ἀντάρ ἐπειτα  
ἔϋ συναγεράμενοι δάμνυ τ' ἔρικω-  
δέα δάϊτα

Δάμασιν ἐν περιδειπνοῖς - -  
l. c.

*Aggesto autem tumulo redierunt,  
deinde vero*

*Bene collecti epulati sunt valde splen-  
didum convivium*

*Aedibus in Priami - -*

Testes huius ritus etiam sunt LVCIA-  
ANVS dial. περὶ νέμθης. ATHE-  
NÆVS lib. VII. et VIII. *Dipnos.* DE-  
MOSTHENES in or. de corona,  
IVLIVS POLLVX in lib. VIII. *Ono-  
mast.* Cap. VII. Testimonia de hoc  
ritu contulerunt NICOLAI in tr.  
de *luctu Græcorum* c. XX. p. 282.  
IO. PHIL. PFEIFFERVS in *anti-  
qu. Gr.* p. 762. sq. STVCKIVS in  
*antiquitat. convivalibus* lib. I. cap.  
XXV. IO. HENR. VRSINVS in  
anal. s. lib. I. c. 2.

nos (1) et postea apud Christianos (m) in usu fuerunt. Quæ cum ita sint, facile patet, quod Ezechiel iuxta mandatum divinum, neque convivium funebre parare, neque ab aliis parato interesse, neque panem lugentibus dari solitum commedere debuerit.

### §. XIII.

Hæc omnia, quæ Ezechiel observabat, non sine ratione ipsi mandata erant. Nam, quemadmodum sæpius istis rebus, quas prophetæ divino mandato exterius peragebant, mysticum aliquid et occultum adumbrabatur (n) : ita fiebat, ut non Deus solum, quum Ezechielis coniugem, oculorum ipsius desiderium, ex hacce vita auferret, interitum et ablationem templi desideratissimi et pretiosissimi, quod Iudæorum oculos et animos ad se convertebat, (o) et repentinum liberorum, quos ipsi impensius amabant, interitum inopinata uxoris laudatæ morte præfigurari vellet; sed  
ut

(1) Romani vocabant ea, *convivia feralia, epulas funebres silicernia*. Conf. IO. KIRCHMANNVS *de funeribus Romanorum lib. IV. cap. 45.* ALEXANDER AB ALEXANDRO *lib. III. genial. dierum. cap. VII.*, qui Græcorum et Romanorum convivia in medium producit, it. NICOLAI. l. c. P. 292.

(m) Conf. IOACH. HILDEBRAND. in tr. *de offertorio pro defunctis* p. 11. 12. 13. De Christianorum imitatione huius moris vide-

antur IO. GERHARDVS t. VII. l. *de morte* §. 85. et CHEMNITIVS P. III. *Exam. conc. Tr.* fol. 100. et alii.

(n) Huius modi actiones prophetarum dicuntur typicæ et symbolicæ, de quibus consuli potest SAL. GLASSIVS in *philol. s. lib. II. P. I. tr. II. Sect. IV. Artic. III.* Multa exempla in scriptura s. occurrunt. *Ies. XX. 2. sq. Ier. XIII. 1. XVIII. 2. XIX. 1. 2. sq. LI. 63, Ezech. II. 8. IV. 2. XII. 3. etc.*

(o) coll. *vers. 21.*

ut etiam Ezechiel, qui eandem ob rem מופת *prodigium* vocatur (p), quique ob uxorem ipsi ereptam nulla doloris interni externa signa edere, nec luctum publicum instituere debebat, adumbraret futurum Iudæorum statum, quo ob templum ipsis ereptum, et ob liberos interfectos magno quidem perfunderentur dolore; quem tamen ipsi, nisi crudelissimos hostes magis irritare vellent, per externum et publicum luctum non manifestarent,

D

Hisce

(p) *vers.* 24. et 27. coll. *Cap.* XII. 6. II. Vox מופת notatu dignissima est, R. DAVID KIMCHI in ספר שורשים de voce מופת hæc annotat: המופת הוא דבר נראה להאמין בו דבר כיוצא בו שעתיד להראות q. d. *Vox מופת tale aliquid est, quod videtur, ut per illud certum fiat aliud quiddam simile ei, quod adhuc videbitur.* Denotat hæc vox tale rei futura signum, quod rem istam futuram in quadam imagine quasi exhibet, ita ut typo proxime accedat. Sed quum iam de voce מופת in *pec. dissert.* qua Iosua eiusdemque socios

מופתי אנשי מופת *appellatos, ex Zach.* III. 8. exhibui, locutus sum, lectorem benevolum, si placet, ad istam remmittam. Vocabatur Ezechiel ita, quia actionibus suis statum Iudæorum futurum præfigurabat. coll. v. 21. ad finem; id quod v. 24. accuratius his verbis exponitur: *Et eris Ezechiel vobis in portentum, iuxta omnia, que fecit, facietis, cum veniet illud; et cognoscetis, quod ego sim Dominus Iehova.* Quid itaque certius, quid clarius est, quam quod Ezechiel fatiis, et factis suis futurum Iudæorum statum; eorundemque fata certo eventura adumbravit?

הוש' לבע

Hisce præmissis ad scopum mihi propositum  
propius accedo, et ad TE

**V I R**  
**MAXIME REVERENDE AMPLIS-**  
**SIME ATQVE DOCTISSIME**  
**PATRVE ÆTATEM COLENDE**

me converto. Nam quum CONIVX TVA, o-  
culorum TVORVM desiderium, summo omni-  
um rerum arbitro ita disponente, ex hac vita dis-  
ceserit, non possum, quin vices TVAS ex toto  
animo doleam, simulque vero iustissimum  
TVVM moerorem solatio levem. Quam acer-  
bum dolorem ex CONIVGIS TVÆ beata  
quidem, sed præmatura et inopinata morte cepe-  
ris, intellectu perquam facile est. Nam amisisti  
uxorem, quæ non fucata in Deum pietate, sincero  
erga TE amore, optimaque fide, et admirabili erga  
omnes probitate et humanitate maxime excellebat:  
amisisti suavissimam laborum et curarum sociam,  
quæ in rebus domesticis prudens erat, atque sedula:  
amisisti coniugem, in qua omnia bonæ uxoris  
requisita concurrebant. O irreparabilem tanti  
boni iacturam! O acerbissimum CONIVGIS  
DESI-

DESIDERATISSIMÆ TVÆ obitum! Lu-  
 gent EIVS mortem cognati: moerent amici  
 TVI: et omnes, qui EIVSDEM elegantes virtutes  
 norunt, acerbissimo EIVS desiderio flagrant.  
 Quanto dolore ego percussus sim, ipse mihi opti-  
 mus testis sum. Quo magis enim ILLIVS virtutes  
 earundemque elegantiam in mentem revoco, et  
 beneficia, quæ IPSA, quum Stargardiæ per totius  
 anni spatium agerem, in me contulit, grata meri-  
 te recole; eo maiorem ex EIVS morte do-  
 lorem accipio. Ast me colligo, et ut TV  
 etiam dolori et luctui modum ponas, ea, qua par  
 est reverentia abs TE peto. Optime nosti,  
 quod Deus, cuius iusu nascimur, et cuius imperio  
 etiam discedimus e vita, abs TE EAM abstu-  
 lerit: quod IPSA ex turbida et procellosa miserrimæ  
 huius vitæ tempestate in tranquillam pacis domos  
 commigraverit; ubi nulli dolores, nulla tristitia,  
 nulla discrimina uspiam turbant, sed æterna et in-  
 concussa felicitas omnes ambit: quod ibidem cum  
 Deo coniuncta, ineffabilia et videat, et audiat,  
 et sentiat. Desine igitur lugere, acerbumque  
 abiice dolorem. Est etiam profecto ea pietas  
 TVA, ut nunquam non Deo parendum esse cen-  
 seas: ea prudentia, ut constanter ferenda existi-  
 mes

mes, quæ mutari non possunt. Deus, qui affligit, lætitiã etiam rursus afficit. Nihil itaque magis in votis habeo, quam ut Deus TE exhilaret firma mentis felicitate, atque inconcussa corporis sanitate TIBI que in seros usque annos vires concedat, ut in maximum ecclesiæ emolumentum, reipublicæ litterariæ ornamentum, et in cognatorum TVORVM et amicorum solatium vigeas, floreas, valeas. Accipe has paucas plagulas TIBI sacras serena fronte, et me, quod hæcenus fecisti, amare perge. Iterum vale.



Fd 5611

ULB Halle  
002 715 18X

3




PH 306


VD 77

NC









EXERCITATIO PHILOLOGICO THEOLOGICA

QVA  
EZECHIELEM  
SOLENNI OB CONIVGIS MORTEM LVCTV  
PROHIBITVM

EX C. XXIV. v. 16. 17.  
EXHIBET

SIMVLQVE  
ACERBISSIMVM LVCTVM IVSTISSIMVMQVE ANIMI MOEROREM  
QVEM

VIR

MAXIME REVERENDVS AMPLISSIMVS ATQVE DOCTISSIMVS  
M. DAN. GODOFREDUS WERNERUS  
AD AEDES ET S. IOHANNIS ET AVGVSTINI APVD STARGARDIENSES  
PASTOR ET COLLEGI GROENINGIANI PROFESSOR PRIMARIVS,  
EIVSDEMQUE ADHVC RECTOR MERITISSIMVS

EX BEATA QVIDEM SED PRÆMATVRA MORTE  
CONIVGIS SVÆ DESIDERATISSIMÆ  
PRIMARIÆ NOBILISSIMÆQVE FOEMINÆ  
LOVISÆ BENIGNÆ BIRNERIÆ

ACCEPTIT *be.*  
SOLATIO LEVARE STVDET  
M. IOSEPHVS CHRISTOPHORVS WERNERVS  
PASTORIS PRIMARIJ EISENBERG. SVBSTITVTVS

EISENBERGÆ IPSIS CALEND. FEBR. MDCCXLIII

LITTERIS B. FLEISCHERI DVICAL. TYPOGRAPHI VIDVÆ.